



9



51.

FOETUS EXILII QUINTUS
Continens

MELETEMATA
MISCELLANEA.

VIRIS

Ampliss: Prudenciss: Doctiss: Humaniss:

Dn: Dn:

MELCHIORI LOYSIO.
FRANCISCO GERICIO.

Illustrissimi Principis ac Domini,

Dn. CHRISTIANI Senioris, PRIN-
CIPIS ANHALDINI, COM: ASCAN:
DN. BERNB. ET SERV.

ILLI QUIDEM
REDITUM PRÆFECTO
HUIC

Illustrissimi Principis ac Domini,

Dn. FRIDERICI, Princ. Anhal. Com. Ascan:
Dn. Bernb. & Serv. EPHORO.

DICATUS

Ab ANDREA ROERELIO, olim Pöllingensis in
PALATINATU Ministro, nunc Nobiliss: ERLACHIA-
NÆ JUVENTUTIS Ephoro, Exule, P. C.

Cothenis Anhaltinorum. M. DC. XXVIII.

12
Ad Clarissimos, Prudentissimos, Doctissimos, Dn. Dn.,

MELCHIOREM LOYSE,

Et

FRANCISCUM GERICIUM

προσφώνησις.

Semine constat Homo, duplici q̄; propaginis ortu,
Professus terram corpore, mente Polum.

Attenuat corpus nimius labor; at magè quò mens
Urget opus, tantò se polit illa magis.

Pascitur Utopicis vulgus sed inane columbis,

Munera dum flocci tam sacro-sancta facit.

Judicium, ingenium, sapientia, mentis acumen,
Terrestri mersos eripuerè luto.

His sine vita magis mors est, quàm vita, voluptas

Languor, hōnos onus est, Lux q̄; meræ tenebræ.

Quæ quia suspicitis, cata corcula, gloria vobis

Florescet nullo deperitura die.

Librum, non cribrum colitis; non rastra, sed astra;

Coelum, non cœnum; præmia, non precia.

Grex rudis est caulas, non Regum natus ad aulas,

Insuper haud arâ dignus, inerrat harâ.

Judicium spernit turbæ mea Musa profanæ,

Exultat doctis insinuata viris.

Vos ea propter amo, sinceri pectoris æstu;

Μνημόσυνον præfens carmen amoris habet.

Incôn-

Inconstantia Fortunæ dialogicè; Argumento ex
C. I. CÆSARIS nece desumpto.

Sub persona:

VIATORIS, CÆSARIANI, POMPEJANI,
MORTIS.

VIATOR.

Vita quid est hominum? foedissima lerna malorum,
Principio, medio, fineq; stenda suo;

Ceu rapiente volans pennâ, pelagusq; dolorum,

Curarumq; seges, tristis imago necis.

Tempora prôh! moresq; malos! sortemq; malignam!

Me miserè miserum! prôh mala quanta fero!

Hæreo quò primùm intendam, cui tristia tristi

(Et meritò) voltu nuncia significem!

CÆSARIANUS.

Quis mœsto volvit questu lamenta per auras,

Hic aures ferijt vox mihi cuja meas?

Siste viator agè, queruloq; quid ore volutes

Prome, nec occultum, quidquid id escit, habe.

VIATOR.

Cerno, nisi falsâ me lumina imagine ludunt,

Eminus, & gressu me properante peti.

Clamoresq; reor miserandâ voce querentis

Exceptos: faxint omnia vana Dij!

CÆSARIANUS.

Quid tristis? quid utrasq; genas tibi proluit imber?

Sollicito vexas pectora quidvè metu?

VIATOR.

Anne ego lacrymulis etiam prohibebor obortis,

Officium linguâ vix peragente suum?

A 2

CÆSA-

CÆSARIANUS.

Quin; quæ sint, liquidò tandem nova nuncia nobis
Indigitas? Nunquid fata sinistra gemis?

VIATOR.

Fata sinistra gemo; gemitu reparanda nec ullo,

CÆSARIANUS.

Tu modò jam ceptos continuato logos.

VIATOR.

Quin *LACHESIS* ratione pari mea rumpere fila
Deproperas; cæso junctus ut astra petam?

CÆSARIANUS.

Quin tandem flendi finem facis, atq; disertim
Promis, quis tanti fons sit & ordo mali?

VIATOR.

Ah tuus heu *CÆSAR* truculentâ mortè peremptus
Occubuit! lacrymis est ea causa meis.

CÆS: *CÆSAR* an occubuit? *VI:* *CÆSAR.* *VI.* Qui totius orbis,
Immò & *Fortunæ* rexerat imperium?

VI: Ille: sed hîc nequijt: vicit *Sicarius.* *CÆS:* author

Quis sceleris? *VI:* *BRUTUS, CASSIUS* indè minax:

Cæteraq; *Italicæ* sublimia culmina gentis;

Conjuratorum sanguinolenta manus.

CÆSARIANUS.

Hæc fera te pestis vitâ privavit? ademit

Hæc mihi te *JULI-CÆSAR* amande lues?

Tantaleas digni qui præcipitentur in undas,

Quorum *SISYPHIO* membra labore tremant.

VI: Ecce quis approperat modicum modò supprime vocem.

CÆS: Perfida pressurus quin ruat ipse *POLUS*?

POMPEIANUS.

Quæ, malâ, te furia stimulant? cui dira precaris?

CÆS: Romulidum perijt gloria celsa *Ducum*!

POMP:

PO. Veranè tu veras? *CÆS.* Verò, defensor & auctor
 ROMANI cecidit JULIUS imperij!
 PO: JULIUS interiit *CÆSAR?* quibus exprime fatis?
CÆS. Sic. PO: Quâ ficâ? *CÆS.* Seditioe ruit.
 PO: Mira refers! *CÆS.* Magè rara. MORS: Mihi non rara vi-
 Falee meâ, patulo quidquid in orbe, feco. (dentur:
 PO: Nunc tandem agnosco, quòd nil dimittat inultum
 JUPPITER, exemplo vel mihi *CÆSAR* hic est!
 Prisca sub hoc patriæ libertas occidit, & jus
 Sic, ipse ut voluit constituitq; fuit.
CÆS: Quis procul abjecto privare pudore MONARCHAM
 Orbis vitali lumine sustineat?
 PO: Paucula terrorem populi manus abstulit; & qui
 Terrebat cunctos, territus ipse jacet.
CÆS: Pròh ubi sunt comites? Scelerato vulnere tolli
 Dicite quæso suum quis patiatur Herum?
 MORS. Quid maceras animum? Divam moderamina mortem
 Flexerunt, nullis impedienda minis.
CÆS: Incluta quin mittis gemitus HISPANIA? tuq;
 Quin desces subitam GALLIA vasta necem!
 PO: TEUTO ferox cum te resciverit esse necatum,
 Vah, bone Zev, plausus, jubila quanta dabit!
CÆS: ROMULA quas lacrymas tellus dabit? ANGLIA mæstos
 Par singultanti quos feret ore sonos!
 PO: TRANSALPINA sed ô regio quæ gaudia necat,
 Quantaq; concipiet Vota precesq; Dijs!
CÆS: Ludere defuncti famam, res pessima, sannis,
 Et placidâ manes nolle quiete frui.
 PO: Qui quondam multis fletûs causâ extitit, idem
 Extet ut ô risus publica causa par est.

CÆS: Siccine principibus, sic Dijs maledicere pergis?
PO: Quos mors atra rapit, non ego curo Deos.
CÆS: Quos ASIA fletus! et quos dabit AFRICA planctus!
 GRÆCUS, & innumeri messor odoris ARABS!
PO: PERSA quot ô tollet! quot bellax BELGA cachinnos!
 Lætitiâ quantâ PARTHIA tota fluet!
CÆS: Flete necem, capitiq; pilos evellite, vestes
 Scindite, ROMANI spes ruit alma soli.
PO: Cura sed ô patriæ quibus est, & cura pudoris,
 Eja Tyranne cadis, dicite, moeche cadis?
CÆS: Nunc maledicis: Erit quando hæc dixisse pigebit,
 Puniet hoc quando JUPPITER ipse scelus!
 Fallor? an ultrices ANTONIUS intonat iras?
 ROMAQUE pro CAIO jam parat arma suo?
PO: Et nobis vires, & nobis fortia bello
 Pectora sufficiunt: nostraq; tela nocent.
CÆS: O sancti Manes! Vobis ô cæde parentet,
 CASSIUS ipse suâ, BRUTUS & ipse suâ!
 Non aliâ queat hoc facinus ratione piari:
 Non alio tantum sanguine flagitium!
 Sic precor! Ætherio sic, quæ precor, approbet axe,
 JUPPITER, & magno MARS fatus ipse JOVE!
PO: Tu superos vel flecte Deos, ACHERONTA vel ipsum
 Concute, TARTAREI turbida regna Dei,
 Nil nos terrueris, Rapiunt tua vota procellæ,
 Ridet & ad vestras MARSPITER ipse minas.
CÆS: MARSPITER immò suo non dêerit alumnus alumno,
 Hoc neq; tam fœdè funus abire sinet,
PO: Omnia nempè libet misceri sanguine vobis,
 Ignibus, & spolijs, funere, coede, dolis.

Dum.

Dummodò quò furor, & regnandi dira libido
Abripit, huc pateat per scelus omne via.
Nulla sacri vobis, Reverentia nulla profani est.
Opprimitur foedis Patria sancta modis,
Fortiaq; ob patriam pugnando vulnera passus
Civis, & ingentum Nomina magna DUCUM,
*Est igitur DEUS, est: Es, quæ tam dira cohercet
Ausa, Dies, certa est, sera sit illa licet.*

CÆS: Dictator sanctum est atq; inviolabile Nomen,
Dictator mixtum Nomine Numen habet.
Hoc sibi perpetuum privâ virtute paravit,
Hoc sine Dijs factum credere nemo potest.

PO: Dictatura sed hæc quanto tibi maxima R O M A,
Tota tibi quanto constitit I T A L I A ?
Mille quot heu cives sub regna silentia missi ?
Exilio profugus ipse senatus ijt,
Patria, Libertas armis oppressa jacebat.
Abscissum Magni proditione Caput.
Magni, qui magnum R O M Æ subjecerat orbem,
Magni, qui magnum perdomuitq; mare:
Magni, qui meriti contentus honore triumphis,
Quæsierat Patriæ cætera cuncta suæ:
Magni, qui magno celeberrimus orbe, trophæis
Et famâ implevit solis utramq; domum:
Magni, qui magno semper securus in orbe,
A malè-succincto non tamen hoste fuit!

CÆS: Quid mihi tu Magni casum, quid funera plangis?
Hostis erat: hostem perdere crimen erit?

PO: Nempè hostes vobis, qui libertatis avitæ,
Quiq; patrum, & legum jura tuentur, erant.

CÆS:

CÆS: Quid quod & indoluit fato illius? illius imò
Sinciput & lachrymis & tumulavit humo?
Quid quod & ignovit cunctis adversa secutis
Castra, inimicorum victor & ipse sui,
Hinc dictaturæ tituli fluxere perennes:
Hinc Patriæ Patris: hinc Principis Imperij:
Hunc **CASSI** Patricida necas? hunc perfide **BRUTE**?
Atq; animus quorum ad Nomina terra stupet?
Nec placidi vultus, nec amicæ gratia linguæ
Perculit, aut superis debitus ipse **LOCUS**?
Hæc hominum tu Monstra feres, ô **JUPPITER**? hæc tu
Luminis adspicies lampade, **PHOEBE**, tui?
Quin magè fulmineos immitte **DIESPITER** ignes!
Tuq; sagittifero grandine, **PHOEBE**, tona!

MORS.

At tu quin diris, & Tu, quin parce cavillis,
Tuq; querelarum tolle, Viator, opus.
Quin potius hominum quàm sit variabilis, & quàm
Lubrica fors: toto & perpes in orbe nihil:
Quamq; Deum vindicta, licèt sit sena, Severa
Sit tamen, & subitis ingruat exitijs.
CÆSARIS exemplis, & Magni discite Fato:
Sortis & incedat tramite quisq; suæ:
Prava vel alta nimis nunquam sapiatvè, petatvè,
Infelix lapsu ne graviore ruat.
Vis, dolus, ambitio, multis Diadema parârunt;
Abstulerunt iterum Vis, Dolus, Ambitio,
Sit potius Pietas, sit cana Modestia curæ,
Et simplex niveâ cum probitate fides!
Hora cuiq; sua est, & ineluctabile Fatum,
Omniaq; arbitrio stantq; caduntq; meo:

Post

Post me rem RHADAMANTUS aget: PHLEGETHONTE scelestum
Merget, at insonti dividet astra Poli.
Discite justitiam moniti quapropter, & ista
Assiduè vestris volvite pectoribus.

Feci MOLZEMII Alsat.

M. PAULO CRUSIO GYMNAS: ARGENTIN:
Rectori, à J. T. OBRECHTO Lauru coronando:

Ludor? an exornat Vatum tua tempora CRUSTI
Splendor APOLLINEUM Lauri-corona decus?
Fama bonum, quò non aliud cunctantius ullum,
Ædes personuit, cras fore festa, meas.
Vota coronando devota proinde POETÆ
Accino, sincero motus amore tui,
Quì minùs? Æquiparat felix te vena supremis
Vatibus; hinc Vatum proxima scamna tenes.
Cognita præter enim quòd habes fundamina legum,
Quod SOPHICI calles dona diserta fori:
Ostendis varios arguto carmine nervos;
Quos HELICON stupeat, CYNTHIUS ipse probet.
Utile permisce quoniam plerumq; jocosò,
INDUPERATOR] nomina VATIS habes,
Congrua connumero veris, tibi nullus adolor:
Conciliat dicto laurus honora fidem.
Publica PARNASSI res gaudeat aucta patrono
Cernis? ut applausu plebs studiosa fluat?
Audin' flexanimâ pubes HELICONIA voce
WALLISERO ut resonet præmodulante melos?
Et viden' attendat seniorum ut turba virorum?
Dirigat inq; caput lumina quisq; tuos?

B

Gestio

Gestio dum specto; Rerumq; *MONO-TRIAS* author,
Ut vireas, *Laurus*, faxit, ut ipsa viret.
Si quâ perpolies, cepisti, laude Poësin,
Ter tria cuncta tibi numina puncta ferent,
Optat idem *MEIERUS*; Idem *BRULOVIVS* optat;
Ipse voves: Ecquid carius hâc triade?

MATTHÆO ZUBERO, P. C. PROFES-
SORI SULZBACH,

Ingemui tandem facie te nôsse, celebri
Haud pridem famâ ceu mihi notus eras.
Contigit optato successus: Numinis in me
Quô vigil indignum clariùs extat amor.
Munera *COLCHIACUM* precio referentia Vellus,
Colloquij doctos sunt comitata sales.
Fercula decantent *CYNICI SYBARITICA* ventres,
Lectio me fatiat carminis una tui.
Maçtet honore rudes ingens opulencia *CROESOS*:
Eligo thesauros, artis amore, tuos.
Ripa *TAGI* valeat, *PACTOLI* cedite fluctus;
URCEUS ATTALICAS quando recludit opes.
At *PHOEBEA* capit quô plus Republica succi
Præsida te, merces hâc venit ampla minùs,
Parce serenatâ tristari mente, *PHANETÆ*
Æmula plebejum respuit Oda decus.
Gliscet ab exequijs potioris Adorea famæ
Semper *APOLLINEO* digna virere throno.
Contemni, hîc proprium sapientis, egere *POETÆ*:
Passio contemptus divite plena cedro,

M. Jaco.

M. JACOBO GERSONIO TRANGLY-
MIENSI. P. C.

Suavia GERSONI pangis meletemata VATES,
Nescia Nectareæ cedere sede dapi.
Singula perstimulante fame momenta molester,
His modò lautitijs faxit APOLLO fruar.
Ore recepta abeunt usus ignara secundi,
Millenâ profunt carmina lecta vice.
Regis in ALCINOI nec alius principis horto
Fragrat, carminibus gratia quanta tuis-
Unius hortorum Venus oblectamina lucis
Suggerit; interitu nemo-Poëta perit.
Quin me GERSONIO, cultissime PHOEBE secundum?
Corda Poëtificum flamen at alta petit!
Incrementa precor laudis benè coepta futuræ,
Supremum primos inter honore gradum.
Quin pendis flocci, ferratæ spicula linguæ,
Est sacra cui stolidum dicta poësis opus.
Optima sectando paucis placuisse bonorum
Est satius, mala quam complacuisse Gregi.

EPICEDIUM IN OBITUM UXORIS PHILIPPI
EHEMII, præfecti Cœnobij Walderbach: in Palat:
Super:

Dupla, DEI jussu, à stygio bona rapta latrone,
Non totidem Generis fulcra recepit HIOB.
Desita nec resident, pecudum velut halitus, aurâ;
Culmine quæ polico mulcet amica quies.
Quid tibi? Natorum valedixit morte, Quadriga,
Proceedunt salvo cætera quæq; gradu.

B 2

Vade

Vade dolor, moestas supplet dum Biga Lacunas,
Digna colo duplici vivere: vade dolor.
Hæc eget (haud isthæc coelesti proxima portui,)
Nutriri, & patrio delituisse sinu.
Languerat storge soboli impertita quaternæ,
Indivisa premet vi graviore duas.
Quippe velut scatebra in varios dispescita rivus
Parcius herbiferam languida lambit humum:
Sic numerosa domi proles disjungit amorem,
Majus ab uniti robore prodit opus.
GRATIA cui nomen locat, & **VICTORIA, ALEXIS,**
Aptus fulmineo porgere vasa **JOVI,**
Membrorum roseos, viruit quibus ante, vigores
Indutus **PYLIOS** salveat usq; dies.
Stemmatis hinc salvo jubar extendetur, ovabit
Integer à lapsu Martis & artis **ATLAS.**
Falsa loqui scelus est: morum cultura, precumq;
Cura, pudor, promunt, vultus & ipse, notas.
Concita maternæ virtutis filia Zelo
Crescat, Virginei sidere fausta status.
Edat adulta, thoro susceptum, foenore; primas
Per matronales captet honora choros,
Nobilium pietas; quod & inculcata parentum
Vita, vel invidiâ teste probata, meret.
Sic voveo; superos penes est subscribere votis;
Angere, mox eundem lætificare catos.

NUPTIIS EJUSDEM SECUNDIS CUM VIDUA
Clariss: D. Scipionis Professor: Altorphini.

NOxia Conjugio tacui qui busta priori
Jubila, jam thalamo confono dupla novo,

Aufe-

Auferat ut possessa Deum clementia; grandi
At remeant plenis cornibus, aucta lucro.
Cassa prior conjux florentis lumine vitæ
Luctu conseruit arva sat ampla gravis.
Instinctu reparata thori fulcimina Divum
Lætitiâ fabricant florea prata novæ.
Tota domus tepuit maternis indiga curis:
Reddita jam nautæ est anchora mœsta suo.
Ambobus mens una fuit, fuit una voluntas:
O vice vos parili glutinet unus amor!
Dempta Dei reverens, & puri flaminis uxor,
Uxor non-ullâ, quâ probitate, minor:
Irruit haud dispar venatu presa secundo
Retibus; indè ulnis insinuanda tuis.
Mitte proin rapidos planctus volitare per AUSTROS:
Non quadrant tædis tristia sensa novis.
Obducto nimbis PHOEBO tenebrescit ut aër,
Denuò discussis splendor ad ima venit.
Luctifico pariter suspiria densa ciebas
Qui gestu, Dominæ melle recentis ova.
Dum licet, atq; vires, roseis amplectere palmis,
Connubij nexus hoc probat esse ratos.
Quod foedus discors ^{ép}is aggravat, immò revellit,
Profatus æthereo germine fulcit ^{ép}os.

NUPTIIS M. ANDREÆ LUTHERI, PASTORIS

Eccles: Hildesheim: Sorites continuus.

STrenuus AONIAS quicunq; ministrat ad aras,
Unica frugis inops ne cadat hora, cavet:
Qui commissa sibi tempus traducit agendo,
Intentus proprijs missa aliena facit:

Quisquis posthabitis alienis propria tractat,
Non petit à rectis avia terra vijs:
Qui mala lethiferas vitat consortia pestes,
Gestit honorandis proximus ire viris:
Gaudet honorandæ qui consuetudine turbæ,
Postremum vitijs re, dat & ore vale:
Pectora quiq; dicam vitijs maculantibus offert,
Atria virtutis (Regia templa) colit:
Virtuti totum sese qui mancipat almæ,
Afferit invictâ se probitate trahi:
Prospera cui probitas, quæ servit ad omnia, curæ est,
Sincero immensi flagrat amore DEI:
Ingenuo æterni qui fervet amore Parentis,
Quam beat, uxorem, forma pudica, capit:
Fortunat superûm cuius benedictio lectum,
Alterius nusquam poscit egenus opem:
Possidet utilium qui sufficientia rerum,
Fertur amanti parâ pulchrior esse DIA:
Cui juvenile cutis circumdat eburnea corpus,
Nil alit orbis eò totus amabilius:
Qui peragit vitæ morum dulcedine cursum,
Plurima fœmineo patrat amica choro:
Cui se virgineus devinxit sexus amore,
Percipit adjuncto gaudia summa DEO:
Gratia lapsa POLO, dulcisq; favissa maritæ,
Sunt duo, quæis nusquam par reperire queas:
Heluo MISARUM quare prosperrimus extat,
Mulcet & illius bella Venissa latus:
En tibi contextum captandi rete puellas!
Suavia subtilis munera textor habes:

Com-

Comprobat effectus causam. Felicia vinculis
Conjugio, lecti pignora, secla precor.

JOHANNI CAROLO ROSENBERGIO
Do&: Medicin:

CAROLE composito cape culte earentia cultu
Carmina; compulsus eupido conamine, curâ
Connexiq; citâ, erebro elamoreq; cinctus,
Crimina cum cernes, calamo compunge: canora
Conspicies, cultis cum collustrata CAMOENIS
Corda canent, Calvi, Crispiq; calumnia cedet,
Confice carnifices curas, eilijsq;, caveto,
Compressis, contristeris, conferreq; causam,
Condoleant CHARITUM castrarum castra colentes
Cognatiq;, Cui constanter continuoq;
CARL coleris cultu, castoq; calore coleris.
Crispati contra conserva crimina carmen.
Contribuat CHRISTUS CARLI cœptis Colophonem.

DANIELI DINCKELIO, primâ LAURU
insigniendo.

CERTA corollarum cantillans commoda, cultu
Concinnatarum celebri, curâq; CAMENÛM,
Currit, CALLIOPE cordi cui castra coruscæ.
Congrator cedrinis calamo condigna citato
(Condonata choro CHARITUM) capitella columnis.
Corpora captivat CYRUS, cædendaq; confert
Carnifici; canibus confossa, cadavera corvis

Con-

Concernit: cupidus captatq; cruore colossum.
 Consuescunt CROESI census conquirere, Curat
 Cara curem CYNICOq; cohors: calicesq; coluntur
 Cùm, clandestinos, cogente cupidine, carpit
 CYPRI-genæ calidæ commissa caterva calores
 Corcula calcantes, Cædes CACUSq; cruentas
 Connumerat. Clypeo cupiunt Capitolia cuncti
 Candida consimili cursim, claramq; CORINTHUM
 Cernere confisi. Contuso condere cribro
 Constituens cinerem cerebrum confuto cavillis,
 Censens codicibus certamina cauta cieri.
 Certâsti cautus. Capiti contexta CORONA,
 Conspice confertur; curæ calcarq; capesse.
 Concludens, celsi cui condita culmina Coeli,
 Concedat, clemens coeptis Colophona, coopto,

EXILIUM SCHOLA PATIENTIÆ.

O Lim obij ^{sacra} lectus in æde sacerdos,
 Nunc rerum, exilij fulmine plector; inops,
 Cujus ab arbitrio fortuna erratica pendet,
 Ille dabit fato fors meliore frui.
 Fors etiam proceres aliquem mihi suggeret inter.
 Consilio, vel re, qui mihi præstet opem.
 Sic sanè spes est: Namq; hæc mihi MAXIMA certa est,
Non-merito afflictis non malè semper erit.
 Non malè semper erit, patiamur ut aspera, CHRISTUS,
 Namq; *Suos unquam deseruisse nequit.*



ULB Halle
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

51.

QUINTUS

MATA

ANEA.

Humanis:

LOYSIO.

GERICIO.

ac Domini,

Senioris, PRIN-

COM: ASCAN:

T SERV,

DEM

RÆFACTO

ac Domini,

nhal. Com. Ascan:

. EPHOBO.

IS

O, olim Pöllingensis in

Nobilis: ERLACHIA-

oro, Exule, P. C.

M. DC. XXVIII.

